Quelle: http://manuscripta.at/?ID=30305
Copyright: Heiligenkreuz, Zisterzienserstift

Prologus in passionem sancti thome apostoli.

Factum est autem Thomas cum reliquis discipulis ad officium apostolatus electus. ipsum quoque ad Dominum didymum quod interpretatur geminum uocatum. fides euangelica narrat. Qui post dominice gloriam ascensionis thathaeum unum ex septuaginta discipulis ad abgarum regem edissene ciuitatis transmisit. ut cum ab infirmitate curaret. iuxta uerbum quod ei a domino scriptum est. Qui matheus ambiens impleuit. nam ut uenens imposito regi crucis signaculo. a omni eum languore curaret. Thomas autem apostolus christi morabatur in hierusalem. Tunc diuina commonitione iussus est in indiam ire. ut scilicet populo qui iacebat in tenebris lumen ostenderet veritatis. Nam legisse me memini quendam libellum in quo uir eius miracula quae in india gessit explanantur. de quo libello quod a quibusdam non recipitur ueritatis propter missa pauca de miraculis libuit memorare. quod et legentibus gratum fieret. et ecclesiam roboraret.

Passio eiusdem.

Tempore rex indorum Gundaforus nomine. misit propositum suum. quaerere ei hominem eruditum arte architectoria. Et apparuit dominus uice thome qui et didymus et dixit ei. Veni quoque et mittam te cum eo. Dixit ei thomas. Domine quocumque uis mittere me. paratus ero. Et dixit ei dominus. Vade quia ego tecum sum et non te deseram. ubicumque ambulaueris. et eum acquisieris mihi indos. cum corona martyrii uenies ad me. Respondit thomas. Dominus meus estis. ego seruus tuus. fiat uoluntas tua. Hec eo dicente. ecce propositus familie regis indorum nomine abanes descendens de naui deambulabat iuxta mare in foro rerum uenalium. Dominus autem accessit ad eum. et dixit ei. Quid comparare uis iuuenis. At ille ait. Dominus meus indorum rex misit me ad istas partes ut conducerem artifices ingenuos aut seruos emere. qui sciant artem architectoriam et omnia que ex lignis fiunt aut lapidibus ut romano opere palatium construat. Cui ait dominus. Habeo seruum idoneum et fidelem mihi. quem adduxerunt ciuitates misi. et quicquid laborat in laboribus suis mercedes apportat. Hunc itaque mittam tecum. ut expletis omnibus ad me eum facias cum honore reuerti. Quod audiens abanes magno gaudio gratias agens osculabatur genua eius. Et conuocans thomam dominum tradidit eum inmanum abanes et abcessit. Dixit autem abanes ad thomam. Die mihi uere seruus pius es qui traditus te mihi. Cui thomas ait. Ego non seruus pius eram. qua hora me tradebat habui contra dicere. Sed quia seruus ipsius sum. non quid uolo facio. sed quod iusserit mihi dominus meus. Seruus sum eius. unus ex innumerabilibus seruis. qui omnes diuersas artes scium. et in prouincias. et quicquid lucrati fuerunt. de arte nostra ipsi fideliter exhibent. Ascendentes itaque nauim cum nauigarent dixit abanes ad thomam. Quod et quod scire de artibus potes. quia probauit te mihi dominus tuus. Thomas ait. Colloco fundamenta que numquam uetescent. construo parietes qui nunquam corruunt. facio exedras et fenestras ut domum lumen inde habeat. Erigo autem fabricam duplicem. ut omne edificium precellens despiciat. Edificia autem mea quamuis extrinsecus habeant speciositatem. sed intus plus habent pulchritudinis. Quid multa tibi dicam de artis mee pricia. Omnia que in marmore et instructura possunt esse necessaria faciam. et quantos uolueris mihi dare discipulos doceam. Dixit ei abanes. Magnus uir est iste. qui tales seruos habet. iste melior est quouis rege. Dixit ei thomas. Bene uidisti. Nam filius unicus regis est et rex et regnum pater eius insuper in sedibus ubi hostis numquam potest introire. ubi nullus penitus inuenitur infirmus. nullus pauper. nullus aliquo indigens. Cum hec et his similia loqueretur thomas. septimo die plenis uelis ac prosperis uentis tenuerunt ciuitatem andropolim. Cumque